

mus? Immo vero aliis, quamvis multis, satis: tibi uni parum. Quidquid enim est, quamvis amplum sit, id certe parum est tui, cum est aliquid amplius. Quod si rerum tuarum immortalium, C. Caesar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adversariis, rempublicam in eo statu relinqueres, in quo nunc est: vide, quæso, ne tua divina virtus admirationis plus sit habitura, quam gloriæ: si quidem gloria est illustris ad pervagata multorum et magnorum vel in suos cives, vel patriam, vel in omne genus hominum, fama meritorum.

IX. Haec igitur tibi reliqua pars est: hic restat actus, in hoc elaborandum est, ut rempublicam constituas, eaque tu imprimis composita, summa tranquillitate et otio perfruare: tum te, si voles, cum et patriæ, quod debes, solueris, et naturam ipsam expleveris satietate vivendi, satis diu vixisse dicito. Quid est enim omnino hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum; quod cum venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo est, quia postea nulla futura sit? quanquam iste tuus animus nunquam his angustiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit, semperque immortalitatis amore flagravit. Nec vero haec tua vita ducenda est, quæ corpore et spiritu continetur; illa, inquam, illa vita est tua, Caesar, quæ vigebit memoria sæculorum omnium: quam posteritas alet, quam ipsa aeternitas semper tuebitur. Huic tu inservias, huic te ostendes, oportet: quæ quidem, quæ miretur, jam pridem multa habet; nunc etiam, quæ laudet, exspectat. Obstupescant posteri certe, imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta innumera, triumphos audientes et legentes tuos. Sed, nisi haec urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late: sedem quidem stabilem et domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit magna dissensio, cum alii laudibus ad coelum res tuas gestas efferent: alii fortasse aliquid requirent, idque vel